

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3545

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Le Vaudreuil (chapelle)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1256, août

Lieu d'émission : Château-Gaillard

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, accorde au chapelain de la chapelle royale du Vaudreuil de percevoir 12 deniers parisis par jour, 60 sous de rente annuelle avec 20 sous pour la lumière de la chapelle, ainsi que des bois de chauffage dans la forêt royale de Bord, comme il en avait coutume. Le chapelain doit célébrer deux messes toutes les semaines pour le roi.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde l (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 567, p. 105.

Texte établi d'après a

In nomine Sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri quod, cum capellanus deserviens in capella nostra Vallis Rodolii, fundata in honore Sancte et individue Trinitatis, percipere consueverit hactenus diebus singulis duodecim denarios parisienses pro victu suo in vicecomitatu nostro Pontis Arche, et sexaginta solidos parisiensium annuatim pro roba in festo Sancti Michaelis, insuper et viginti solidos parisiensium pro luminari capelle predicte, nec super hiis cartam haberet aut aliud instrumentum, ne in posterum inde molestari aliquatenus valeat aut fraudari, volumus et precipimus ut, secundum quod predictum est, dictos duodecim denarios et dictos sexaginta solidos pro roba et viginti solidos pro luminari in vicecomitatu predicto percipiat sine difficultate vel contradictione quacumque, chaufagium etiam in foresta nostra Bortis, secundum quod hactenus habuit et percepit, deinceps volumus ut percipiat et habeat inconcusse. Tenetur autem idem capellanus in singulis septimanis duas missas, unam de Sancto Spiritu et unam de beata Virgine, pro nobis dicere, dum vixerimus, et, post decessum nostrum, missam que pro defunctis fidelibus celebratur, per duos dies in septimana qualibet pro nobis similiter decantet, in aliis etiam missis oracionem pro nobis tenebitur dicere specialem. Ceterum nullum aliud ecclesiasticum beneficium recipere poterit, quin vacet predicta capellania ipso facto. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Castrum Gaillardi, anno incarnationis dominice millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, mense Augusto ; regni vero nostri anno tricesimo, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa. Dapifero nullo ; signum Johannis buticularii ; signum. Alfonsi camerarii ; signum Egidii constabularii. Data, vacante cancellaria.